



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Philippi Cluverii[i] Italia Antiqua

Opus post omnium curas elaboratissimum ; tabulis geographicis ære  
expressis illustratum ...

Philippi Cluverii[i] Italiae Antiquae. Tomus ...

**Clüver, Philipp**

**Lvgdvni Batavorvm, 1624**

Cap. IX. De Frentanis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14124**

nihil posset; quibusdam solutis ergastulis, *Cosam* in agro *Thurino* oppugnare cepit. eo quum à *Q. Pedio* praetore cum legione . . . . [desunt nonnulla] . . . . lapide ictus esset ex muro, periit. Et *Caelius profectus*, ut dicebat, ad *Caesarem*, pervenit *Thurios*. En; cui potius credam, *Velleio*, hoc tempore posteriori homini; an *Caesari*, æquali eius; & qui tum trans *Hadriaticum* sinum in *Macedoniâ* circa *Dyrrachium* & *Apolloniam* agebat; ut ipse narrat continuo antè. Apud hunc tamen etiam vocabulum *Cosam* viciatum est ab exscriptoribus ab genuino *Cassanum*: quo nomine hodiè que in *Thurino* agro opidum est episcopale, x circiter millia à *Thuriorum* urbis loco. Et ne vanam inanemque hanc putes esse conjectionem; en, apud *Plinium* lib. 11 cap. lvi: *L. Paulo*, *C. Marcello*, consulibus, lanâ pluit circa castellum *Carissanum*: juxta quod post annum *T. Annius Milo* occisus est. Ex hoc vocabulo si mendosam syllabam vi deleas, habes genuinum nomen *Cassanum*. Ex hoc igitur vocabulo (quod ex *Carissano* fieri non poterat) facilè exscriptores apud *Caesarem* labi potuerunt in *Cosam*, celebre urbis nomen; & item apud *Velleium* in *Compsam*. Sed apud hunc, arbitror, quum loci eius litera pleræque ita exoleta essent, uti legi non possent; sciolos grammaticos in proximam similitudinem sibi que notum urbis claræ nomen reposuisse. quumque scirent, hanc esse in *Hirpinis*; hæc quoque verba pro sequentibus addidèrunt. Exoleta autem hoc loco fuisse verba, id documentum etiam fidem maximam facit, quod tota præcedens de *Caelio* narratio multis vocabulis mutila est. Omnino igitur *Velleius* etiam scripsit; *Milo Cassanum in Thurino agro oppugnans*.

Porrò *Plinius* lib. 111 cap. xi ita scribit: *Hirpinorum Beneventum, Aeculani, Aquilonii, Abellinates, cognomine Protropi; Compsani, Caudini, Ligures, qui cognominantur Cornelianii, & qui Babiani, Vescellani, Deculani, Aletrini, Abellinates, cognomine Marsi, Atrani, Aecani, Alsellani, Atinates, Arpani, Borcani, Collatini, Corinenses, & nobiles clade Romanorum Canneuses; Dirini, Forentani, Genusini, Herdonienses, Hyrini, Larinates, cognomine Frentani, Metinates ex Gargano, Mateolani, Neritini, Matini, Rubustini, Silvini, Strapellini, Turmentini, Vibinates, Venusini, Vlurtini*. En tibi exemplar diligentiae *Plinii*. Quivis veteris *Italiae* ignarus omneis hos populos pro *Hirpinis* accoperit. At heic *Hirpinorum* *Lucanorum* que & *Apuliae* *Calabriae* que populi mirâ confusione commisti sunt. At *Livius* multa passim decade 1 ac 111 opida *Samnii*, sub quo comprehendit & *Hirpinos*, refert, quorum situs planè non liquet. Haecenus igitur de *Hirpinis* dictum.

## C A P. VIII.

## De FRENTANIS.

40 *Samnitium* hinc alia progenies fuèrunt ad superum mare, inter *Marrucinos* & *Apulos* porrecti *FRENTANI*. *Strabo* lib. v: τὰ πρὸς τὴν Πικερίαν οὐρανὸν τε καὶ Μαρσίον & Πελιγνὸν & Μαρξίον, καὶ Φρεντανὸν, Σαμνιτικὸν ἔθνος, πρὸ ὄρεω κατὰ χερσὶν, ἐφ' ὧν τὸ ὄρος μιν ἐστὶν Ἰαλάτιος. Id est: *Supra Picenum Vestini & Marsi & Peligni ac Marrucini atque Frentani, qui Samnitica sunt gens, montana tenent; exiguam ora maritima partem attingentes*. Sanè *Vestini* *Marrucini* que per exiguam litoris partem tenuerunt. at *Frentani* ad lxxx millia passuum; ab *Aterno* flumine usque ad *Frentonem* amnem, qui vulgò nunc dicitur *Fortore*. quamquam de *Frentone* termino auctores quidam apertè negant, *Plinius* lib. 111 cap. xi: *Flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum, itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis, inde regio Frentana*. Et cap. xii: *Sequitur regio Quarta, gentium vel fortissimarum Italiae. In ora Frentanorum, à Tiferno flumen Trinum portuosum: opida, Histonium, Buca, Ortona, Aternus amnis*. Heic utrobique *Tifernus* amnis terminus constituitur *Frentanis*, qui vulgò nunc dicitur *Biferno*. In eandem mentem tradit *Mela* lib. 11 cap. 111: *Frentani, inquit, tenent Aterni fluminis ostia: urbis Bucam & Histonium. Daunii autem Tifernum amnem; Cliterniam, Larinum, Teanum, opida; montemque Garganum*. Verùm ipse *Plinius* eodem cap. xi *Larinates* memorat cognomine *Frentanos*, & *Cicero* in oratione pro *A. Cluentio Larinati*, ubi populos commemorat, qui *Romam* ex his

ex his oris ad laudandum Cluentium venerant, *Frentanos* ponit primos. *Adfunt*, inquit, *Frentani*, *homines nobilissimi*. Hinc igitur disco; ab initio quidem *Frentanorum* agrum dictum fuisse ad *Frentonem* usque amnem. postea verò Romanos terminum constituisse *Tifernum*; partem illam ad *Frentonem* usque *Apulorum* attribuisse nomini. At *Cæsari*, *Belli civil. lib. 1*, *Larinates*, ceu singularis secretusque populus, inter *Frentanos* *Apuliamque* ponuntur. *Septem omnino*, inquit, *dies ad Corfinium commoratus Cæsar*, per *fines Marrucinatorum, Frentanorum, Larinatium, in Apuliam pervenit*. Cæterò, utrum *Frentani*, quum, digressi à *Samnitibus*, in hæc loca pervenerunt, nomen sibi novum ab amne imposuerint; an verò de suo nomine amnem adpellaverint, incertum est. Gentis nomen in plerisque auctorum exemplaribus exscriptores corruerunt in *Ferentani*; respicientes haud dubiè *celebris in Latio opidi vocabulum Ferentinum*. *Frentani*, tribus syllabis, verum esse nomen, testantur metra *Silii. Lib. viii*:

*Marrucina simul Frentanis amula pubes.*

Et lib. xv:

*Quà duri bello gens Marrucina, fidemque  
Exuere indocilis sociis Frentanus in armis.*

Terminum igitur *Frentani* habuere ab meridie *Frentonem* amnem: ab ortu æstivo mare superum. ab occasu *Forum* amnem, ad fontem usque. ab occasu hiberno lineam à dicto fonte ad *Frentonis* ripam, quæ est medio itinere inter opida *Serra*, *Capriola* & *Tragonara*, ductam. Nunc igitur opida & flumina, quæ *Frentanorum* intra hos fines fuerunt, ordine enarrabimus. ac primum ea, quæ sunt in litore.

ORTONA opidum.

Primum igitur ab *Aterno* amne & *Marrucinis* est *ORTONA opidum*; idem nomen nunc etiam servans. Memoratur *Straboni*, *Mela*, *Plinio*, *Ptolemæo*, *Tabula itinerariæ*. *Strabo lib. v*: Μετὰ Ἄτερον Ὄρων, Πίνειον φρεντανῶν. Id est: *Post Aternum est Orton, Frentanorum navale*. *Ptolemæus* falsò *Pelignis* tribuit; ut magnus turbator est *Italiæ*. *Πελιγνῶν*, inquit, *Σάγρης ποταμοῦ ἐκβολαί, Ὄρων*. Id est: *Pelignorum, Sagri amnis ostium, Orton*. Sic Græcâ formatione Græcis scribitur hoc nomen, ut & Ἀγκων, Δέρτων, Οὐήρων, Κρέμων. quæ omnia *Romani* formabant, *Ancona*, *Dertona*, *Verona*, *Cremona*. Porro *Plinius lib. iii cap. xii*: *Frentanorum à Tiferno flumen Trinium portuosum: opida, Histonium, Buca, Ortona; Aternus amnis.*

SAGRUS amnis.

Sequitur hinc *SAGRUS* magnus amnis; vulgò nunc adcolis *Sangro* & *Sanguine* dictus. *Strabo lib. v*: μετὰ δὲ Ὄρων & Ἄτερνα ὁ Σάγρης ποταμὸς, ὀρίων δὲ φρεντανῶν ἀπὸ τῆς Πελιγνῶν. Hoc est: *Inter Ortonam & Aternum Sagrus est amnis, Frentanos à Pelignis determinans*. Hoc opidò quàm falsum: quum *Sagrus* ab alterâ parte *Ortonæ* sit versus ortum ad xv millia passuum. Rectius igitur *Ptolemæus*: *Σάγρης ποταμοῦ ἐκβολαί, Ὄρων. Histonium, Sagri amnis ostium, Ortona*. Nempè ab oriente incedit.

HISTONIUM opidum.

Post *Sagrum* sequitur ad xiiii millia passuum *HISTONIUM*; vulgò nunc *Guasto d' Amone* dictum; elegans opidum. *Tabula itineraria* sic habet:

<i>Ortona</i>	
<i>Anxano</i>	XI.
<i>Annum</i>	III.
<i>Pallanum</i>	IIII.
<i>Istonium.</i>	XII.

Millia sunt in universum xxx: quæ probè huic intervallo conveniunt. *Mela lib. ii cap. iiiii*: *Frentani tenent Aterni fluminis ostia; urbis Bucam & Histonium*. *Plinius lib. iii cap. xii*: *A Tiferno flumen Trinium portuosum, opida Histonium, Buca, Ortona*. *Ptolemæus*: *φρεντανῶν τριφών ποταμὸς ἐκβολαί, βυκα, ἱστῶνιον*. Id est: *Frentanorum Tiferni amnis ostium, Buca, Histonium*.

TRINIVM fluvius.

Ab *Histonio* ad vi millia passuum est *TRINIVM* flumen; uni *Plinio* loco proximè scripto memoratum. Nomen hodiè retinet, vulgò *Trigno* dictum.

BUCA opidum.

Post *Trinium* ad v circiter millia passuum erat antiquum illud opidum *BUCA*: quòd perperam *Plinius lib. iii cap. xii* *Histonium* & *Ortonam* ponit dicto lib. iii cap. xii. *Flumen*, inquit, *Trinium portuosum; opida, Histonium, Buca, Ortona*. Rectius *Ptolemæus*:

Iemæus: τῆ Φέρου ποταμοῦ ἐπιβολῆ, Βύκα, Ἴσωνιον. Tiferri fluvii ostium, Buca, Hispanium. At situm eius nobis dabit Strabo. Is lib. v ita habet: Μετὰ ἧ Ἀπρον ὄρων, Ἰππειον φρετανῶν, καὶ Βύκα, καὶ ἀπὸ τῆ φρετανῶν, ὁμοῦ τῶν Ἀπάλων. Hoc est: post Aternum est Orton, Frentanorum navale; & Buca, ipsa quoque Frentanorum; contermina Teano Apulo. Hoc de Teano falsum esse, ipse testatur postea lib. vi: Εὐθὺς δὲ ἀπὸ τῆ Γαργάνου ἐλάττω ὑποδέχεται βαθύν· ἐν δὲ τῷ ἐλάττω λίμνη ἐστίν· ὑπερὸ δὲ τῆς λίμνης ἐν μεσογείῳ τὸ Ἀπρον Τεάνον. καὶ ἡ τῶν λίμνων Ἰππιδόν φρετανῶν καὶ τῆ Βύκαυ ὄρων πάλαι ἐστίν. ὅ δὲ εἰσὶν ἐφ' ἐκάστη ἐπίδοι τῆ λίμνης, Ἰππιδόν τῶν Βύκαυ καὶ τὸ Γαργάνον. Hoc est: A Gargano statim profundus subsequitur sinus. Ad eum sinum lacus est: & super eum Teanum Apulum. A lacu navigatur juxta litus ad Frentanos & Bucam. Virtimque autem à lacu & ad Bucam & ad Garganum stadia sunt cc. Id est, millia passuum xxv. Ergo, si Teanum est super lacum; ut re verà est; Bucæ non potuit esse conterminum. Id autem spacium xxv millium passuum incidit in eum situm, quem supra indicavi: v scilicet millia à Trinio flumine.

Sequitur porro à Bucæ loco post x millia TIFERNVS amnis; vulgò Bisferno adcolis dictus. quod vocabulum in Chronico Cassinense bis perscriptum est, lib. ii cap. xxvi & xxxiii. Memoratur fluvius antiquis scriptoribus, Melæ, Plinio, atque Ptolemæo. Melæ lib. ii cap. iii: Daunii autem [tenent] Tifernum amnem, Plinius lib. iii cap. xi: Tiferus amnis. inde regio Frentana. Et cap. xii: A Tiferno flumen Trinium. In Ptolemæi vulgatis exemplaribus viciatum id nomen est in φῆρον· ut ibidem est Βύκαυ pro Βύκα.

Ultimus hinc atque terminus Frentani agri sequitur FRENTO fluvius; uni Plinio memoratur lib. iii cap. xi. Flumen, inquit, portuosum Frento, Teanum Apulo-  
lorum; itemque Larinum. Opidum Teanum apud dextram fuit Frentonis ripam; ubi rudera eius hodiè que existant. erravit igitur heic Plinius: qui ab sinistra id ponit ripà: in Frentanorum agro. Dicitur autem Frento vulgò hodiè Fortore. Nec dubitare licet, hunc esse Frentonem; quando nullus alius est inter Tifernum & Garganum montem portuosus amnis. Atque hæc ferè sunt flumina & opida Frentanorum maritima, veteribus memorata scriptoribus. Nunc interiora etiam inspiciamus.

Primum igitur ab Ortonâ, haud ita procul Sagri lavæ ripæ, est ANXANVM opidum; vulgò nunc L' Anciano, & L' Anzano. Sed articulum istum Lo jam dudum incolæ nomini opidi conglutinarunt; uti Lanciano & Lanzano dicant & scribant. Memoratur Ptolemæo & Tabulæ itinerariæ. Ptolemæus: φρετανῶν μεσογείου πόλεις, Ἀγγεων, Λαέρων. Frentanorum mediterranea opida, Anxanum, Larinum. Plinio lib. iii cap. xii opidani inde sunt ANXANI. at ego judico dictos fuisse ANXANENSES. Plinium cap. xi & xii negligentia summæ plenum esse, supra ad finem Hirpinorum expositionis ostendi. Sic cap. xi sunt ei opidani Acculani & Aquiloni; pro Acculanenses, Aquilonienses: quum opida eorum essent Acculanum & Aquilonia.

Ab dextrâ Tiferri ripâ est LARINVM opidum; vulgò nunc Larina dictum; ut Stephani etiam epitomator habet. Memoratur Melæ, Plinio, ac Ptolemæo, locis supra recitatis. tum Ciceroni in oratione pro A. Cluentio; item ad Atticum lib. vii epist. xii & xiii. Opidani inde sunt Ciceroni in dictâ oratione, & Cæsari Civilis belli lib. i, Livio lib. xxvii, Plinio lib. iii cap. xi, LARINATES. & sic Græcè Polybio lib. iii Λαρινάται. Municipium fuisse, testatur Cicero in dictâ oratione pro Cluentio. A. Cluentius, inquit, Aviti fuit pater huiusce, iudices: homo, non solum municipii Larinatis, ex quo erat; sed etiam regionis illius & vicinitatis, virtute, exillimatione, nobilitate, facile princeps. Latis paruisse finibus oportet Larinatum agrum; ac fortasse à Tiferro ad Frentonem usque; quando tanquam singularis habetur regio inter Frentanos & Apuliam Cæsari ac Livio. unde Polybio etiam lib. iii Λαρινάται vocatur χωρῆ· Larinatis regio. Cæsar de Civil. bel. lib. i: Cæsar per sineis Marrucinorum, Frentanorum, Larinatum, in Apuliam pervenit. Livius lib. xxvii: Præmissi in agrum Larinatem, Marrucinum, Frentanum.

At CLITERNIA opidum, Melæ lib. ii cap. iii, & Plinio lib. iii cap. xi, memoratum, quo situ fuerit, minimè dispicere queo: nisi fuerit eò loco, ubi nunc

opidulum sine mœnibus, ædificiisque semidirutis est, in quo pernoctavi, duo millia passuum à mari, viii millia à Larino, quadringentos passus à Tiferi dextrâ ripâ disitum, vulgari adpellatione *Campo Marino*. nam uterque auctor & *Larino* & *Tiferno* id conjungit. *Mela*: *Daunii autem [tenent] Tifernum amnem; Cliterniam, Larinum, Teanum, opida*. *Plinius*: *Flumen portuosum Frento, Teanum, itemque Larinum, Cliternia, Tiferinus amnis*. Vterque hoc loco totum Frentanorum litus exponit; ut hætenus per singula opida id vidimus. Ex mediterraneo autem quasi per compendium duo ista opida, Teanum & Larinum, maritimis admiscuere. Hæc igitur sunt Frentanorum opida maritima, quæ veteres adnotarunt scriptores.

10

## C A P. X.

## De I A P Y G I A.

Frentanos sequitur ea Italiæ pars, quæ Frentone amne, Hirpinorumque finibus & flumine Bradano marique cincta, à Romanis in tria nomina distinguebatur: *Apuliam, Calabriam, & Salentinos*. At Græcis, non tantum antiquissimis, sed posterioribus etiam vocabatur *Ἰαπυγία*, IAPYGiA. *Strabo* lib. vi: *Ἀντίοχος ἢ τῷ Ταρηνίῳ ἐκ τῆς γῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἰαπυγίας καλῶν*. Id est: *Antiochus Tarentinum agrum extra Italiam sub Iapygia nomine censet*. *Appianus Bellor. civil. lib. i*: *Ἰθακίῳ δὲ ἐν Ἰαπυγίᾳ πρῶτον Κανωσίνοι καὶ Οὐενωσίνοι, ἔπειτα πόλεις πολλὰί*. Id est: *Ad Iudacilium in Iapygiâ defecerunt Canusini & Venusini; tum & alia complures urbes*. *Dionysius Περιηγητής*.

10

Ἐξείης δὲ Ἰπὶ πύλῃ Καλαβρίδῳ ἦτα γαίης,  
 φύλα τ' Ἰαπυγίων πᾶντοσφῶν μίση Τέλειος  
 Παρραλίης.

Hoc est:

At deinceps post hos sequitur Calabria sedes terræ,  
 Gentesque Iapygum, extenta usque ad Hyrium  
 Maritimum.

30

At nomen hoc unde habuerit *Iapygia*, *Plinius* indicat lib. iii cap. xi. *Barion*, inquit, ante *Iapyx*, à *Dadali filio*: a quo & *Iapygia*. *Solinus* cap. viii: *Quis ignorat, Iapygas ab Iapyge, Dadali filio, conditos?*

Ceterum dicta IAPYGiA iisdem Græcis in treis divisa fuit parteis. *Polybius* lib. iii: *Διελθὼν ἢ ὁ Ἀντίοχος ἐκ τῆς Φθιώτιδος πρὸς τὴν Πραϊνθίαν ἐπὶ δὲ τὴν Μαρκινίαν ἔφηνεν ἡρώων, ἄρην τε πρὸς τὴν πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν ἢ διηρημένης εἰς τρεῖς ὀνομασίας, καὶ τὴν μὲν περὶ τὸν Ἰαπυγίαν Δαυίων, τὴν δὲ Μεσσαπίων, εἰς πρῶτον ἐπέβαλε τὴν Δαυίων. Id est: Hannibal, ubi pertransiit Prætutianum Hadrianumque agrum, nec non Marrucinatorum Frentanorumque; in Iapygiam avertit iter. qua regio quum tribus nominibus distincta sit; quorum unum est Dauniorum, alterum Messapiorum; Hannibal primam petit Dauniam. Scilicet, ut proximam à Frentanis. At quid hoc est, quod ait in tria nomina divisam esse Iapygiam; heic verò duæ tantum commemorantur? Vt pleraque apud *Polybium* Italiæ urbium, fluminum, & montium nomina ab imperitis exscriptoribus corrupta sunt; ita heic etiam per supinam oscitantiam tertium Iapygum nomen omissum est. Scripsit igitur haud dubiè *Polybius* sic: ἢ διηρημένης εἰς τρεῖς ὀνομασίας, καὶ τὴν μὲν περὶ τὸν Ἰαπυγίαν Δαυίων, τὴν δὲ Μεσσαπίων, τὴν δὲ Μεσσαπίων, εἰς πρῶτον ἐπέβαλε τὴν Δαυίων. Id est: *Que regio quum tribus nominibus distincta sit; quorum unum est Dauniorum, alterum Pencetiorum, tertium Messapiorum; primam petit Dauniam*. Ergo *DAVNIA* erat proxima Frentanis *Hirpinisque*. extima, à Tarento Brundisioque, in peninsulâ, *MESSAPIA*. media inter utramque *PEVCE TIA*. Hanc separat à *Dauniâ* *Plinius* *Cerballo* amne; qui vulgò dicitur *Cervaro*; apud *Sipontum* in mare effluens. *Lib. iii cap. xi*: *Amnis, inquit, Cerebalus, Dauniorum finis*. Originem horum nominum indicare voluit *Antoninus Liberalis* in libro de Transformationibus. *Λοκάων ἢ ἀντίοχος ἐξήγησε πᾶσι, Ἰαπυγίαν*.*

40

50